



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

*Sophia

interfecti sunt. Cumq; tali euentu gauderet tota Italia, Romani inuidia ducti suggererunt Iustiniano & * Suffinae, quia Romanis magis expetierat Gothicis seruire, quam Græcis, vbi Narfes Eunuchus imperat. Quod Narfes audiens de Roma venit Campaniam, & indignatus scripsit genti Langobardorum, vt venirent, & possideret Italiam. Quæ omnia, vt cognouit Ioannes Papa, festinus venit Neapolim, & obtinuit à Narfete, vt reuerteretur Romam: qui relicta Italia, p qua valde laborauerat, Constantinopolim redire decreuerat. Vtrique ergò reuerfi sunt. Et sanctissimus quidem Ioannes habitauit multo tempore in cimiterio Sanctorum Tiburtii & Valeriani. Narfes verò Romam ingressus post multum temporis mortuus est. Sanctissimus quoq; Ioannes & ipse mortuus sepultus est in basilica B. Petri Apostoli. Et cessauit Episcopatus mensibus 10. diebus 3.

LXIV.

BENEDICTVS, natione Romanus, de patre Bonifacio, sedit annis 4. mense 1. diebus 29. Eodem tempore gens Langobardorum inuasit omnem Italiam, simulq; & fames nimia adeo, vt etiam multitudo castrorum se traderet Langobardis, vt temperare possent ab inopia famis. In istis itaq; laboribus & afflictionibus positus sanctissimus Papa mortuus est, & sepultus in B. Petri Apostoli basilica in secretario. Et cessauit Episcopatus menses 3. dies 10.

LXV.

PELAGIVS, natione Romanus, de patre Vnigildo, sedit annis 10. mens. 2. dieb. 10. Hic ordinatur absq; iussione Principis, eo quod obsiderent ciuitatem Romanam Langobardi, qui Italiam multa vastatione infestabant. Cuius temporibus tantæ pluuiæ fuerunt, vt omnes dicerent, quia aquæ diluuii superinundauerunt, & talis clades fuit, qualem à sæculo nullus meminit fuisse. Hic mortuus est, & sepultus ad B. Petrum Apostolum. Et cessauit Episcopatus menses 3. dies 25.

LXVI.

GREGORIVS, natione Romanus, ex patre Gordiano, sedit annis 13. mens. 6. diebus 10. Hic exposuit homilias Euangeliorum, & multa alia, quæ enumerare non possumus, adiecitq; in canone. *Dies nostros in tua pace dispone, &c.* Misit etiam prædicatores ad gentem